

66 XVII. DE VOT. PROPT. VIAM FRIDER. &c.

mem ire iubeat, mox et redire eum, quem, ad vnam omnium felicitatem nostraque iubila, nuper saluum venisse gauisi sumus priuatim atque publice? Tum maiestatis plena vox erat PRINCIPIS, ex instituto veterum, magis tamen ex animi sententia, vt ita demum immortalis Deus eum seruaret, si bene remp, et ex utilitate communi rexisset. Vna vero omnium ad PRINCIPEM acclamatio, et votorum summa, REX vt viuat AVGVSTISSIMVS noster, et saluus sit; eumque sic amet Summum Numen, vt nos amat ipse PRINCEPS, qui virtutibus suis hanc vniuersi populi pietatem nostraque perpetua vota meretur. At FRIDERICVS, AVGVSTISSIMVS REX et OPTIMVS PRINCEPS, non vni datus populo, quem adeo deuota hucusque sumus amplexi et exosculati mente, vt pro illius nostri PATRIAЕ PATRIS incolumitate, vtpote qua publica salus continetur, solennia et perpetua vota decreuerimus, Deum precati, vt velit ea semper suscipi, semperque signari. Ad solium parat iter suum: ciuibus in patria refectis omnibus, et illis restitutis vel ordinatis rebus, quae sunt ad emolumenta reip. vt saluberrimis posthac consiliis etiam e longinquo nos regere possit, et felicitatem stabilire vnam tot gentibus sibi subiectissimis communem. Vtinam ad nos primo quoque tempore laetus et incolumis reuertatur, suoque nos dulci reditu mox iterum dignetur. Sed proficiscitur nunc DELICIVM atque DESIDERIVM nostrum, triste dicit Vale, et simul nobis e celesti cursu acclamat omnibus:

*Viuite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua. Nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies, nullum maris aequor arandum.*

Nihil nobis reliquum est, Ciues et Commilitones ornatisimi, quam vt puro affectu et piis votis, quidni et lacrumis, et suspiriis ardentiissimis, in via OPTIMVM tandem